Inde nec è coelis annunciat angelus unus,
Totius coeli miles id omnis ait.
Miles id omnis ait symphonus: gloria soli
Sola Deo: soli gloria sola Deo.
Addit: et in terris pax: concinit omnis et omnis:
In terris pax, pax! pacis et omne bonum.
Nam nihil in terris melius, nil gratius unquam
Quam pax. Et quidnam dulcius esse potest?
Est ea grata bonis: ea toti gratior orbi,
Grataque coelicolis, gratior estque Deo.
Quod superest, paucis repeto praenobile salve:
Salve festa dies, salve et amoena dies,
Auras quâ primum vitales Jesulus hausit
Qui princeps pacis, pacis et ipse dator.
O mihi tam longae maneat pars ultima vitae
Quantum magna sat est dicere facta DEI!
Non me carminibus vincet nec Thracius Orpheus,
Nec Linus, in vitam sit licet ille redux.

Joh. Roick
Forst. Lus.